



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

III. Praescriptio triennalis ecclesiae sufficit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

CAP. I.

PARS  
XXXVIII.

*Alexander III. Salernitano archiepiscopo.*

**D**E quarta vero decimæ & oblationis defunctorum, clerici ab impetione episcopi, quadragenaria temporis se posse præscriptione tueri videntur, nisi forte cathedralis sedes pastore interim caruisset, qui iura ecclesiæ suæ exigere debuit. Sed Romana ecclesia tricennalem præscriptionem contra ecclesiam non admit.

CAP. II. *Jdem\* Cistrensi decano.*

Ex literis tua dubitationis intelleximus, te & archidiaconum confines habere præbendas in villis, quas singulis singulas possidetis, & prætextu terminorum inter vos controuersiam verti, eo quod dicas eum antiquos fines egredsum, partem fundi tui occupasse: ille econtra asserit, se eamdem partem fundi 40. annis possedit inconcusse. Tu autem ad tuam præbendam quiete per idem tempus persistisse affirmas. Quia in re quaris cui incumbit probatio, petitori, an possessori: ad quod sane scire debes, quod iudicium finium regundorum tale est, ut in eo vtraque pars vices duorum habeat, agentis scilicet & eius cum quo agitur. Vnde hinc inde rite testes produci possunt ad cognitionem iudicis instruendam. Quibus examinatis, iudex <sup>16. q. 3. Di-</sup>  
<sup>lectio.</sup> quos præcedere intellexerit, ad fidem sibi faciendam admittet. Quod si forte ambarum partium testes æque idonei sunt, possessoris recipientur, cum promptiora sint iura ad absoluendum quam ad condemnandum, excepta causa liberali, in qua si vtriusque partis testes forsitan æquales fuerint, pro libertate tamen semper pronuntiabitur. Nam possessori probationem aliquando dari, iuris manifesti est, <sup>16. q. 3. c.</sup>  
<sup>123.</sup> cum in sacris Canonibus cautum sit ita: Si quis obiecerit præscriptionem longi temporis, & eam probauerit, reportet possessionem: quoniam nemo recte obiicit, nisi qui possidet.

CAP. III. *Idem Rhemensi archiepiscopo.*

Controuersiam quæ inter Macularensem & Formo-

lensem ecclesias super decimis de villa de \* Remegan  
mota fuit, nos cum fratribus nostris pertractauimus: &  
quidam monachi decimam omnem illius villæ suo mona-  
sterio pertinere, tam per Caroli regis donationem, quam  
per nostrum priuilegium, allegabant. Clerici vero eccle-  
siæ Formolensis tertiam partem decimæ, 30. annis & eo  
amplius sine interruptione synodali vel legitima, possedisse  
asserebant: nos vero vtriusque partis rationibus & alle-  
gationibus indagatis, decreuimus, quod si ecclesia For-  
molensis tertiam partem decimæ per 30. annos quiete &  
inconcusse se possedisse, per tres personas idoneas\* sibi pro-  
priare poterit, ea deinceps sine inquietatione possideat.

C A P. IV. *Idem abbatij & monachis sancti Andreae.*

Si de terra quam habetis in parochia de Bretevelle,  
iam per 30. annos vel eo amplius decimas sine reclamatio-  
ne aliqua solueritis, & hoc anno eas canonicis de Planio,  
post appellationem ad nos factam, contra iustitiam subtra-  
xistis, eas sibi de cetero integre & sine molestatione, oc-  
casione & appellatione postposita, persoluatis, & quas no-  
scimini subtraxisse, integre restituatis. Licet enim priuile-  
giorum Romanæ ecclesiæ beneficio, fratribus Cister-  
tiensis ordinis indulatum fuerit, quod de laboribus suis nul-  
li decimas vel primitias persoluere debeant, de priuilegio  
tamen vobis indulto tanto tempore subtrahere voluistis,  
cum liberum sit vnicuique iuri suo renuntiare, eoque mo-  
do non potestis vos in hac parte tueri. Sane nisi nos vos &  
ordinem vestrum tantum diligemus, grauiter aduersus  
vos moueremur: nec \* poterimus aliquatenus relinquere \* posse-  
impunitum, si nobis constaret, quod post appellationem  
ad nos factam, manus vestras exinde extendissetis ad præ-  
dictas decimas surripiendas.

C A P. V. *Item gloriosus Clemens in lib. Stromatum.*

Vigilanti studio caendum est, (quod summa dimen-  
sio diuini iudicij ab initio consueuerit propria dimittere,  
aliena non appetere) ne malæ fidei possessores simus in alien-  
nis prædiis, atque rebus maxime ecclesiasticis, quoniam  
nulla antiqua dierum possessio iure iuuat aliquem malæ  
fidei possessorem, nisi resipuerit, postquam nouerit se alien-